



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Titulus XXXII. De novi operis nunciatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](#)

TITULUS XXXII.

De novi operis nunciatione.

CAPUT PRIMUM.

Lucius III. a Paduano Episcopo.



Ntelleximus ex litteris tuis , quod cùm causa , quæ inter dilectos filios nostros Priorem sancti Cypriani Deven. & clericos de Rodigo vertitur super Capella , quæ in præjudicium baptismalis Ecclesie de Costa , ab eisdem clericis est construeta , f. t. delegata fuisset fine canonico terminanda , partibus ad tuam præsentiam convocatis , per testes tibi sufficienter innotuit , quod præfata Ecclesia de Rodigo eandem Capellam post appellationem ad nos factam , & denunciationem novi operis ædificare cooperat : & ob hoc præfatus Prior in judicio postulabat , quidquid in sacerdicia Capella post appellationem ad nos factam , & post denuntiationem novi operis factam primitus fuerat , demoliri . Super quo discretioni tuae dubium videbatur , utrum ad hoc canonico procedi posset judicio , & cùm nihil de nunciatione novi operis sit in canonibus definitum , Sedem duxisti Apost. consulendam . Quia vero sicut humanæ leges non b. dedignantur sacros canones imitari , ita & sacerdotum statuta canonum priorum Principum constitutionibus adjuvantur : f. t. præsentibus respondemus , quod diligenter considerans , quod post denuntiationem novi operis , sive jure , sive injuria aliquid constitutatur , de legalibus debet constitutionibus demoliri : & quia nulla Ecclesia in præjudicium alterius debet construi , ascitis tibi viris prudentibus negotium ipsum secundum canonum , & legum statuta , ap. rem. non differas terminare . Nam cùm te credamus in utroque jure peritum , securius duximus causam per tuam solitudinem terminari , qui per dicta partium , & terminos , & fines locorum plenius poteris cognoscere veritatem , quam aliquid à nobis ignorantibus qualitatem negotii diffiniri .

NOTE.

1. a Paduano .] Ita etiam legitur in secunda collectione , sub tit. de Eccles. edific. cap. 4. De diœcesi Paduana nonnulla adduxi in cap. 7. de judicis .
2. b Dignantur .] Novella 83. & 131. Justiniani , l. sacr. 45. Cod. de Episc. & cler. quod etiam usurpavit Pontifex in cap. clerici 8. de judicis . cap. ult. de secund. mpt. cap. 1. de jur. calum. cap. Nicana 12. 31. dist. & sèpe sacri canones profitentur , se non respuerere legum sacerularium famulatum , cap. super specula 28 de privil. & sic statuta canonum constitutionibus Principum adjuvantur , atque secundum regulas juris civilis ec-

clesiasticæ quoque controversiæ terminantur , si canonibus non opponantur , & ipsi deficiant , cap. 1. cap. fin. auditorium , dist. 20. unde in praesenti tractaru de novi operis nuntiatione , quia nulli sunt sacri canones , in quibus statutus servandum in hac parte in causis ecclesiasticis : ideo tam Lucius III. in praesenti , quam Innocentius , Honorius , & Gregorius in decretalibus sub hoc titulo compilatis tantum observare jubent leges sacerulares . Quando vero deficiente canone recurrendum sit ad jus civile , vel patrum , seu è contra , exponunt congesti à Barbola in praesenti , & Canilius in cap. 1. de constit. & in tract. de differ. utriusque jur. in princ. Mancinus sac. jur. dist. 34.

CAPUT II.

Innocent. III. a Cantuariensi Archiepiscopo.

Cum de injuncto nobis Apostolatus officio locum ejus (licet immeriti) teneamus , cui juxta verbum propheticum liberavit pauperem à potente , & inopé , cui non erat adjutor ; diligent studio satagere nos oportet , ne minores à majoribus opprimamur : sed

sed ut Prælati sic exerceant acceptam jurisdictionem in subditos , ut prodeesse pro-
bentur potius quam præesse. Hæc ergo secundum officii nostri debitum attenden-
tes , districta dudum tibi ^b iussione mandavimus , ut in negotio Capellæ de Lamech
juxta formam litteris Apostolicis comprehensam , ab oppressione monachorum
Cantuarien. omnino cœstares : super quo venientes ad præsentiam nostram dilecti
filii R. de Boxleia , & W. de Ponte Roberti Abbates nunciuit , fraternitatem tuam
nitebantur multipliciter excusare. In primis siquidem proponentes , quod cum bo-
na memorie ^c Theob. Cantuarien. Archiepiscopus , & gloriosus a Thomas suc-
cessor ipsius attentes , quod nemo militans Deo implicat se negotiis sæculari-
bus ; & nolentes ^d monachos Cantuarien. relictis divinis officiis ad negotia sæ-
cularia se transferre , ad honorem Protomartyris Stephani ædificandi Ecclesiam
voluntatem , & propositum habuissent , & in ea sæculares clericos ordinandi , & de
suis proventibus , & Ecclesiæ eis redditus assignandi , per quos tam apud Aposto-
licam Sedem , quam apud Curias sæculares sua possent negotia expedire : lau-
dabile primi propositum obitus festinatus ; secundi longum ^f exilium impedi-
vit , sicut in litteris ven. fratris nostri I. quondam Lundunen. Archiepiscopi ple-
nius continebatur expressum , quæ in nostra , & fratrum nostrorum fuerunt præ-
sentia recitatæ. His bonæ memorie ^g Bal. Cantuarien. Archiep. ita proposito ut
officio , voluntate ut dignitate succedens , prope suburbium civitatis Cantuarien.
qua si per stadia tria , vel quatuor , ad honorem præsentis Protomartyris , & bea-
ti Thomæ construere cepit Ecclesiæ , felicis record. Urbani Papa prædecessoris
nostrí super hoc indulgentia primitus impetratæ. Cujus sibi fuit auctoritate con-
cessum , ut in honorem ipsorum Martyrum & ædificare posset Ecclesiæ , & de
personis idoneis ordinare : quibus in ecclesiasticis beneficiis canonice provide-
ret : sic tamen , quod Ecclesiæ debitis obsequiis , & necessariis stipendiis minimè
fraudentur. Et licet idem Urbanus adversus dictum P. prædecessorem tuum su-
per demolitione operis suas sèpius litteras destinasset , quia tamen in eis non fa-
ciebat de concessa jam indulgentia mentionem , ei dicebant per scripta fre-
quentia nullatenus derogatum , quæ præterea proponebant , & per falsi sugge-
stionem , & veritate tacita impetrata , & ad ipsius Archiepiscopi notitiam minimè
devenisse : unde si eis non paruerat , de jure non poterat reprehendi. Rescriptum
quoque sanctæ memorie ^h G. Papa prædecessoris nostri pro se pariter produce-
bant : qui cum per litteras indulserit generales , ut rescripta , quæ à tribus men-
sibus ante obitum prædicti Urbani prædecessoris sui fuerant impetrata , eandem
firmitatem haberent , non obstante obitu mandatoris , quam obtinere , si tunc
viveret , debuissent ; negotia , quæ ipsum Archiepiscopum , & ejus clericos con-
tingebant , sub præmissa noluit generalitate concludi : per quod nimis rescrip-
tum sub prædecessoris sui dicebant litteris derogatum , quas adversus Archiepisco-
pum dederat ad instantiam monachorum : quibus siquidem litteris , & etiam bonæ
memorie ⁱ Clementis successoris sui , qui ejus in hac parte fuerat imitator , per fa-
ctam tunc temporis amicabilem compositionem de partium voluntate inter Archie-
piscopum , & monachos memoratos , per charissimum in Christo filium nostrum
R. ^j Anglorum Regem Illustrum , & venerabilem fratrem nostrum Walte-
rum Rhotoragen. Archiepiscopum , & quosdam Episcopos , & Abbates , dicebant
penitus derogatum. Cum enim tempore Præfati B. Cantuarien. Archiepiscopi , præ-
missi Rex , Archiepiscopi , & Episcopi , & Abbates Cantuariam accessissent , in eos
fuit tam de constructione ipsius Ecclesiæ , quam institutione Prioris , & quibusdam
aliis quæstionibus à partibus compromissum. Ipsi autem diligenti deliberatione præ-
missa pariter judicarunt , quod ipse Archiepiscopus rationabiliter ædificaverit Eccle-
siæ memoratam. Ipse tamen pro bono pacis concessit ad prædicti Regis instan-
tiam , & etiam aliorum , quod Canonorum collegium ad locum transferret alium ,
quem eligeret competentem. Per hanc ergo compositionem dicti nuncii tui re-
nunciasse dicebant monachos rescriptis præcedentibus à Sede Apostolica impe-
tratis : cum exinde dictus Archiepiscopus loco priore dimisso , ubi ædificare non
potuerat sine scandalo monachorum , ad locum de Lamech per quinquaginta mil-
liaria distante à civitate Cantuarie suum propositum transtulisset : ubi & Eccle-
siæ , sicut prius fecerat , ædificare cœpit , ad honorem martyrum prædictorum , ut
sic propter nimiam locorum distantiam nulla remaneret monachis materia conque-
rendi. Cui postea tu succedens , quod ab ipso minus factum fuerat , perficere voluisti ,

D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

Rr 2

&

& quod ipsum tibi licet , ex rescripto litterarum bonæ memoriarum C. Papæ prædecessoris nostri ostendere nitebantur : qui anno Pontificatus sui septimo , & extre-
mo , ad omnem inter Ecclesias Cantuarien & de Lamech discordiam sponiadam :
& ne Canonici de Lamech facultatem haberent contra Cathedralem Ecclesiam in-
surgendi , disponendi de ipsa Ecclesia de Lamech, interius , & exteriū , non ob-
stantibus litteris ad venerabilem fratrem nostrum N. Cicestren. Episcopum , & di-
lectum filium N. de Walthan , & N. de Rading. Abbates obtentis , concessit tibi
liberam facultatem. Per has ergo litteras præcedentia scripta sua , quæ his vide-
bantur adversa , dicebant penitus revocata. Intentionem ergo suam probare dicti
tui nnuncii fatagebant per laudabile propositum Theob. & glorioli Thomæ Matryris
Pontificum præmissorum , & per Urbani , Gregorii , & Cœlestini Romanorum
Pontificum indulgentias , & rescripta , & præmissam compositionem factam de
partium voluntate. Verum præmissis rationibus ex parte monachorum fuit ex ordi-
nione taliter obviatum , quod de occultis hominum voluntatibus , quas sibi tantum
Dominus reservavit , qui tenet , & corda scrutatur , à nobis judicari non poterat ,
nec debebat : nec ipsi valebant ad talia respondere , quæ proponere in judicio ni-
hil aliud erat , quam de secretis cordium divinum. Sanè per indulgentiam Urbani Pa-
pæ prædecessoris nostri (de qua præmissimus) juri suo in nullo dicebant penitus deroga-
tum , quia canonica beneficiorum assignatio per eam Cantuarien. Episcopo ser-
batur , quæ juxta constitutionem canonicam sine tractu , & assensu monachorum
procedere non valebat : qui nedum ipsius factio in hac parte non consenserant , ve-
rū etiam contradixerunt expreſe , sicut sequentia docuerunt , & adhuc in eodem
proposito perseverant. Eis ergo contradicentibus superioris fuerat judicium expe-
ctandum. Idem etiam ea ratione ostendere nitebantur , quia juxta functiones legi-
timas , si quando alicui conceditur beneficium principale , putat libera factio refa-
menti , nihil videtur aliud indulgeri , quam ut modo testetur legitimo , & etiam
consueto. Ille quoque , qui ut in loco publico ædificare posset , à Principe simi-
liter impetravit , ædificare cum alterius incommodo non valebit , nisi & hoc ipsum à
Principe postulatum fuerit , & concessum. Per sequentes etiam ipsius Urb. litteras
executorias , quibus opus ipsum maledictum haberi voluit , & prophananum , affere-
bant præscriptæ indulgentiæ derogatum , quæ si coram eodem Urbano fuerit offen-
sa , proponebant eam penitus abrogaram , cum sive ea non obstante demolitiō ipsius
Ecclesia fuerit demandata , sive fuerit prætermissa , sibi debuit imputari ; cum jure
civili etiam caveatur , quod sub m prætextu instrumentorum postea repertorum li-
tes non debeant restaurari. Id ipsum per litteras pia recordationis Clementis Papæ
prædecessoris nostri probare volebant , in cuius præsentia nunciis partium constitu-
tis , cum dictus B. prædecessor tuus opus maledictum , & prophananum noluisse con-
tumaciter , & pertinaciter consummare , ad exemplum Urbani Papæ prædecessoris
sui præfato Archiepiscopo de consilio fratrum districte præcepit , ut quicquid fecerat
in Ecclesia nominata , curaret sine diminutione qualibet demoliri : quod de institu-
endis canoniciis , & alii fuerat perperam attentatum , in irritum penitus revocato :
ubi sive omisla fuerit præmissa indulgentia , vel etiam allegata , eorum non poterat
ratione præmissa propositum impedire. Per ipsam verò compositionem , de qua præ-
missimus , tanquam regio metu violenter extortam , parrem suam in nullo gravari
posse dicebant. Cum enim dictus Clemens Papa prædecessor noster pro sedanda di-
scordia inter Archiepiscopum , & monachos Cantuarien. exorta , bonæ memoriarum
Joannem Anagninum tunc temporis tituli sanctæ Marci Presbyterum Card. Aposto-
licæ Sedis Legatum , postea vero Episcopum Prænestinum in Angliam specialiter de-
stinasset , postquam illuc transfretavit , factum fuit dicto B. Cantuarien. Archiepisco-
po procurante , quod apud portum Devoriarum contra voluntatem suam per dies pluri-
mos teneretur , quod in gravem Ecclesiarum Rom. injuriam redundavit : nec ante per-
missus fuit Cantuariam proficiisci , quam per dictum Regem Anglorum , qui eodem
tempore cum Episcopis suis Cantuariam venerat , in pacis , quam fecerunt cum Archi-
episcopo monachi , formulam consentirent ; in quo prædicti monachi vim passi fuerunt ,
& compulsi sunt omnia sustinere : quod id est cum prope audisset positus , & postea pre-
sens apud Cantuariam cognovisset , scripto mandare curavit , ut reiveritas omnibus in-
notesceret , & quod factum fuerat , non generaret præjudicium justitiae monachorum.
Et si Archiepiscopus ipse , vel aliquis de successoribus ejus scripturam super formam
pacis quandoque proferret , sciretur ab omnibus , eam fratribus jam dictæ Ecclesie ,
nec

nec consentientibus, nec scientibus fuisse confestam, nec sibi exhibitam postulanti, quia causam fuerat à Summo Pontifice destinatus. Unde vel rem gestam consummare debuerat, si iustitiae concordaret; vel si aliter facta fuerat, infirmare. Sic ergo cognoscens intercessisse illi facto violentiam manifestam, auctoritate, quā fungebatur Apostolica statuit, quod nec concordia sic facta valeret, neque compromissio violenter exorta, neque scriptum aliquod sic conceptum; & quod ipsi monachis in posterum præjudicium non afferret, cum omnia eo præsente, ac contradicente fuerint adimplenta, sicut in suis litteris patentibus continetur, quas coram nobis fecimus recitati. Post hanc cùm bonæ memorie Cœlestinus Papa prædecessor noster omnia, quæ per memoratum B. Archiepiscopum circa monachos vi, vel metu acta fuerant, auctoritate Apostolica in irritum revocaret, nominatim ea, quæ Legato Rom. Ecclesiæ præsente, & contradicente contra mandatum Sedis Apostolice facta proponebantur, sicut in authentico ejusdem Legati, P. videlicet Anagnini, quondam Presb. Card. ob causam ipsam in Angliam destinati, continebatur, expressa viribus carere decrevit, & quæcunque contra jus monachorum, vel tenorem privilegiorum Apost. Sedis idem Archiepiscopus impetrarat. Insuper statuens, ut nullus hominum, quæ malæ gesserat, ad consequentiam traheret: neceea, quæ à Sede Apostolica obtinuerat, tacitaveritate, juri monachorum, vel privilegiisullo unquam tempore in aliquo præjudicium generarent: quemadmodum nobis, & fratribus nostris ex ipsarum constitit continentia litterarum. Ex ipsa quoque majore loci distantia sibi asserebant monachi majus præjudicium generatum, quia cùm in eorum defectu, sicut à tuis nunciis dicebatur, facultares clerici fuerint evocati, vix possent per eos vicinos Cantuarien. Ecclesiæ negotia monachis absentibus procurari, quæ ipsis procul positis, & captatâ eorum absentia sine monachorum conscientia traçtarentur, & eis penitus inconsulis: unde Cantuarien. Ecclesia dispendium incurreret, & jacluram. Sic ergo per hoc nihil eis accessit eadem contradictionis causâ manente. Ultimum quoque rescriptum dñi Cœlestini Papæ prædecessoris nostri carere viribus asserebant, utpote per suppressionem veritatis subreptum: quoniam in eo nulla fiebat mentio mandatorum, quæ ab Urbano Papa, & Clemente processerant: nec etiam confirmationis illius, quam ipsem super cessatione compositionis prædictæ concessit: & præsertim cùm rescriptum illud indulſiſſè dicatur eo tempore, quo eum infirmitas admodum prægravabat. Ad fundandam sanè intentionem suam, prædictorum Urbani, Clementis, & Cœlestini Romanorum Pontificum rescripta, ac nostrum post illa iidem monachi producebant: quibus urgentissimè mandabatur, ut quicquid de præfata capella fuerat attentatum, haberetur irritum, & inane. Cùm autem quæ præmisimus, & similia, in nostra, fratrumque nostrorum præsentia prudenter essent à nunciis allegata, nos qui tempus accepimus iustitiam judicandi, volentes illius vestigiis inhærere, apud quem non est acceptio personarum, cuius locum (licet indigni) tenemus in terris, & ita viâ regiâ prudenter incedere, ut non declinemus ad dexteram, vel sinistram: prædeceſſores quoque nostros Urbanum, Clementem, & etiam Cœlestinum credentes amplius imitando, in illis maximè, quæ deliberatione prævia statuerunt, de communi consilio fratrum nostrorum fraternitatituae per Apostolica scripta mandamus, & in virtute obedientiæ distictè præcipimus, quatenus omni contradictione, & excusatione, & appellatione cessantibus, infra triginta dies post receptionem præsentium quicquid ædificatum est in Ecclesia memorata, expensis tuis facias penitus demoliri, eo non obstante, si etiam absens extiteris: cùm cautum sit etiam legitimâ sanctione, ut si is, cui fuerat opus novum nunciatum, ante remissionem ædificaverit, deinde agere coepit, jus sibi esse ita ædificatum habere, sibi debeat actio denegari: reducens prorsus in irritum quicquid de instituendis ibidem canonis, & aliis ad ipsam Eccleiam pertinentibus, à te, vel à prædecessore tuo cognoscitur ordinatum: eorum redditibus ad statum pristinum revocatis, quos ab obligatione præstiti juramento, pro eo, quod ibidem instituti fuerunt, auctoritate nostra per te denunciari præcipimus absolutos. Cùm enim amodò non teneat principale, quicquid ex eo, vel ob id secutum est, sub præmissa distinctione decernimus irritandum, sicut sancitum est traditione canonica, & civili. Clericos præterea, qui in capella ipsa post inhibitiones Apostolicas divina officia celebrarunt, sicut nos per alia scripta nostra mandavimus, tam diu habeas pro suspensi, quo usque super hoc satisficerit competenter: & universa, quæ in prædictorum monachorum sunt attentata gravamen, xeniorum videlicet, & Ecclesiarum, & aliorum invasione, quæ

D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

R 3

ante

ante appellationem habuerant, non differas dictis monachis resignare, ac de cætero circa statum monasterii contra prohibitionem nostram hujus occasione negotii non præsumas aliquid innovare. Si vero (quod non credimus) præceptum nostrum, sicut præmissum est, vel contemptis, vel distuleris adimplere, à Pontificali officio ex tunc noveris te suspensum: & pro contemptu mandati Apostoli ad nostram venire te volumus præsentiam responsurum. Venerabilibus quoque fratribus obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus nisi tu infra præmissum tempus mandatum nostrum duxeris ad effectum, ipsi nullam tibi impendant obedientiam, vel reverentiam; quia justum est, quod ei non obediatur à subditis, qui si contemnit obediere Prælati. Quod si forte nec sic te poterimus ad bonum revocare, propter quod malum nunquam committitur, bonum autem debet saepius intermitti, majorem tibi animadversionem noveris imminere; cum ferro sint abscondenda vulnera, quæ fomentorum non sentiunt medicinam. Sanè super præmissis, in quibus salvâ conscientiâ non poteramus alio modo procedere, fraternitatem tuam rogamus nullatenus contristari: quia (teste Deo) non ex indignatione aliqua processerunt, sed quia cum simus (licet insufficientes) in Sede justitiae constituti, unde jura sua servare tenemur singulis illibata, fraternitati tuae, quam sincerius ampliamur, cum te inter fratres, & Coepiscopos nostros honorabile membrum, & in domo Domini columnam immobilem habeamus, non potuimus sine gravi offensa Creatoris deferre, nec nobis in hac parte potes aliquid imputare: cum secundum traditionem canonicam, quando non nisi peccando alicui consuli potest, tunc estimare debet homo, quid faciat, non habere. In ipsis etiam legibus secularibus invenitur, ut quæ facta laedunt pietatem, estimationem, verecundiam nostram, & generaliter quæ bonis moribus adversantur; nec posse nos facere sit credendum. Super eo quoque non sufficimus admirari, quod cum dicta Ecclesia jam dudum quasi lapis offensionis fuerit, & petra scandali, pro qua nos, & prædecessores nostri adversus te, tuosque prædecessores ita graviter sumus moti: & viri religiosi pariter, & prudentes monachi Cantuarien. qui omnia dimiserunt pro Christo, tot laboribus, & doloribus, tot mortibus, & periculis personas, & res non dubitaverunt frequenter exponere: quod proculdubio tam illi, quam isti (ut dictum est) non fecissent, nisi cognoscerent præmissa respicere in grave Cantuarien. Ecclesiæ detrimentum, ut de aliis omittamus, tu saltem pro vitando tam gravi n^o scandalum proximorum, ab hujusmodi etiam tibi prohibitis non cessasti: cum sacræ Scriptura testimonio debueris didicisse, quod licet opera illa, quæ sine mortali peccato dimitti non possunt, non sint pro vitando scandalum dimittenda, nec ea debeat pro vitando scandalum committi, quæ sine mortali peccato committi non possunt: ab his tamen, quæ committi possunt sine mortali peccato, pariter, & dimitti, sit pro scandalio tollendo cessandum: & eis etiam pro vitando scandalum insistendum. Unde Apostolus dicit: Si scandalizaretur frater, carnem non commederem in æternum. Et Dominus in Evangelio contra eos, qui scandali præsentant materiam: Vx (inquit) homini illi, per quem scandalum venit: melius est ei, ut suspendatur mola asinaria ad collum ejus, & demergatur in profundum. Et licet majorum scandalum sit vitandum, præcipue tamen vitandum est scandalum pusillorum juxta testimonium veritatis: Qui scandalizaverit (inquit) unum de pusillis istis minimis, qui in me credunt, &c. Finis ergo his, quæ præmissa sunt à te de cætero taliter imponatur, quod præteritæ contradictionis rebello per virtutem sequentis obedientiæ valeat non immerito expiari. Datum Lateran. ix. Kal. Decembbris.

N O T A E.

^{I.} **C**antuariensis.] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. unio. & in epistolis Innoc. correctis à Sirleto, fol. 214. ex quo Registro restituo integrum hujus textus. Præfens epistola scripta est Werto Waltero 43. Archiepiscopo Cantuar. de quo ex variis plura refert Richardus Smithius in floribus Ecclesiæ Angliae lib. 7. cap. 10. Hujus controversiamentio sit in gestis Innocentii III. editis à Bolqueto, pag. 29. ibi: [Litem etiam, quæ inter Episcopum, &

Capitulum Cantuariensis Ecclesiæ cœperat agitari super Ecclesia de Lameche, quam idem Archiepiscopus eodem Capitulo contradicente construxerat, & dotaverat multis, & magnis redditibus, instituens in ea canonicos seculares, viros nobiles, potentes, & literatos, non sine multa difficultate sedavit. Nam Rex, & Archiepiscopus in illo factio se mutuo adjuvabant. Capitulum autem non habebat post Deum, nisi solum Romanum Pontificem adjutorem, afferens pro constanti, quod nisi præfatam Ecclesiam faceret penitus demoliti, Metropolitana dignitas pro

pro majori parte transferretur ad illam. Ubi verò Dominus Papa rationes partium sufficienter audiuit, Apostolicæ Sedis auctoritate decrevit, ut dictus Archiepiscopus eandem Ecclesiam suis sumptibus demoliretur omnino, in irritum revocans quidquid factum fuerat circa ipsam : quæcum ipse facere distulisset, prætendens quod Rex illud fieri non sinebat, ipse succensus zelo iustitiae præcepit districtè in virtute obedientiæ Archiepiscopo memorato, ut illud exequi ulterius non differret, alioquin sciret, se ab officio Pontificali suspenso, & suffraganeos ab ejus obedientia esse subtrahatos. Et sic demum quantumcumque Rex, & Archiepiscopus reniterentur, & murmurarent, impletum est penitus quod mandavit.] Quem canonem retuli in cap. dilecti 52. de appell.

b. *Iussione.*] Cujus iussionis literæ extant apud eundem Sirleum in eodem Regestro Innocentii, lib. 1. epist. 54. in hac verba : [Quantò personam tuam sinceriori charitate diligimus, tantò majori dolore turbamur, quoties ea de tuis audivimus operibus, quæ Pontificali derogant honestati. Cùm enim Cantuariensi Ecclesia, cui præfæ dignoscetis, inter Anglicanas Ecclesiæ celebris beatus, & inter alias consueverit Religione florete, nos, & fratres nostri grave, & molestum gerimus, quod sicut dilecti filii nostri N. Prior, & Conventus ejusdem Ecclesiæ humili nobis conquestione monstrarunt, tu ad ipsius defolatiōnem Ecclesiæ satagis multipliciter, & laboras in constructione novæ capella de Lameche, contrà prohibitiones felicis recordationis Urbani, & Clementis Romanorum Pontificum, bona memoria N. prædecessori tuo factas post appellationes multiplices ad Sedem Apostolicam interpositas, in magnum Cantuariensi. Ecclesiæ præjudiciū propriā temeritate procedens, & de bonis ejusdem Ecclesiæ Canonicos instituens : à ejus si quidem constructione capellæ, siem, quam debes Roman. Ecclesiæ reverentiam, & obedientiam exhiberes, & commissæ tibi Ecclesiæ provisionem, & sollicitudinem gereres, quam teneris, tibi, & honoris tuo melius consules penitus destitutes, nec super eo procedere studuisse, quod prædecessori tuo sic districte cognosceres à Sede Apostoli, interdictum. Cùm igitur diminutionem Cantuariensi. Ecclesiæ, sicut nec debemus, nolumus aliquatenus sustinere, prædictorum prædecessorum nostrorum vestigiis inharentes, de Fratrum nostrorum consilio fraternitatii tua per Apostolica scripta mandamus, & districte præcipimus, quatenus omni mora, & excusatione postpositis (si etiam ab Ecclesia tua ablens fueris,) aliquatenus non obstante, quicquid post appellationes, tam tempore prædecessoris tui, quam tuo, ad Sedem Apostolicam interpositas, vel inhibitiones Antecessorum nostrorum in opere atrum capellæ dignoscitur memoratae, infrà triginta dies post harum susceptionem tuis expensis non differas demoliri : in irritum proflus revocans, & deducens quicquid de instituendis canonicis, & aliis circa Capellam ipsam factum est, vel enorimenter innovatum. Clericos præterea, qui in Capella ipsa post inhibitiones Apostolicas divina officia celebrarunt, tam diu ab officio, & beneficio teneas pro suspensi, donec super hoc satisficerint competenter, universis operibus demo- liuis, quæ apud eandem Capellam facere præsumpsere, & universa quæ post appellationem in prædi-

ctorum Fratrum sunt attentata gravamen, in exercitorum videlicet Ecclesiarum, & aliorum invasione, quæ ante appellationem habuerant, in statum pristinum appellatione remota reducas : sententias excommunicationis, & interdicti, quas in quofdam ipsorum Fratrum temerè diceris promulgasse, publicè nuntians non tenere, ac de cætero circà statum ipsius Monasterii contrà prohibitionem nostram, hujus occasione negotii non presumas aliquid innovare : illicitos invasores villarum, possessionum, & reddituum prædictorum Fratrum usque ad satisfactionem idoneam vinculo excommunicationis astringens. Sive (quod non credimus) mandatum nostrum infra statum terminum neglexeris, vel distuleris adimplere, quia justum est ut ei obedientia subtrahatur, qui Sedi Apostolicæ negligit obedire, venerabilibus Fratribus nostris Suffraganeis tuis per scripta nostra mandavimus, ut tibi reverentiam, seu obedientiam non impendant. Quod si forte ab eis, vel eorum aliquo contrà prohibitionem nostram tibi feceris aliquam obedientiam, & reverentiam exhiberi, scias te ex tunc ab Episcopali dignitate suspensus, & tamdiu ipsi sententiæ subjacere, donec satisfacturus de contemptu te nostro conspectui repræfentes. Non autem distinguimus, utrum in loco à nostris prædecessoribus interdicto, vel alio in prædicta constructione Capella, & Canonicorum institutione processeris in Ecclesiæ Cantuariensi præjudicium, & gravamen, eadem contradictionis causâ durante; nisi quod ex hoc magis credimus Ecclesiæ derogari, quod in remotori loco prior fabrica est translata. Datum Romæ, apud S. Petrum.]

c. *Theobald.*] Theobaldus videlicet, qui fuit 37. Archiepiscopus Cantuariensis, de quo ait Smithus d. lib. 7. cap. 5. per totum.

d. *Thomas.*] De quo sancto, & ejus martyrio nonnulla adduxi cap. 2. de rescript.

e. *Monachos Cantuarienses.*] In Ecclesia enim Metropolitanâ Cantuariensi post Sancti Augustini obitum Laurentius illius successor Bonifacio Romano Pontifice permittente, & speciali rescripto ad petitionem Ethelberti Anglorum Regis concedente, Monachos posuit, ut referunt Guillermus Malmesburiensis lib. 1. de Episc. Anglicanis, pag. 208 & ita simul erant in eadem Ecclesia, ut in aliis illis scæculis contingebat, Monachi & Canonicci Regularis: quod facilè constat ex his, quæ de Beati Thomæ Cantuariensi Archidiaconatu, & illius martyrio, de Clericis foræ templi claudere conantibus, qui eidem martyrio aderant, ab omnibus historicis passim traduntur; & facile hoc probatur ex cap. relatum, de preb. ubi agitur de Magistro recipiendo in Canonicum ipsius Ecclesiæ : quod convenire nequit Monachis in Ecclesia deservientibus, & ita optimè probat Pennatus lib. 2. hist. canonic. regul. cap. 37. num. 5. in Ecclesiæ Cantuariensi. fuisse simul Monachos cum Canonicis Regularibus.

f. *Exilium.*] Quod diuturnum passus fuit inclitus Martyr sensel atque iterum, ut ex variis etiam Protestantibus probat Smithus d. lib. 7. c. 6.

g. *Bald.*] Balduinus videlicet, quadragesimus Archiepiscopus Cantuar. de quo Smithus dicit. lib. 7. cap. 8.

h. *G. Papa.*] Gregorii videlicet VIII.

i. *R. Anglorum Regem.*] Richardum videlicet I. qui dictus fuit Cor Leonis, 38. Rex Angliae, qui regnavit ex anno 1189. usque ad annum 1199.

ut probat Smitheus in floribus Angliae, lib. 4. quotid. cap. 16.
cap. 6.

k. C.] Cœlestini videlicet III. dic.

l. In loco publico.] L. 2. §. si Princeps, ff. ne quid m. Sub praetextu.] ut probavi in cap. 21 de re ju.

in loco publico; quam illustrat Forner. lib. ... rer. n. Scandalo dimittenda.] Ut probat latè Salga.

do de retent. Bullar. p. 1. cap. 4.

C A P U T III.

Honorius III. Decano, Preposito majoris Ecclesiae, & Magistro Michaeli
Canonico S. Nicolai^a Ambian.

SIgnificantibus Canonicis^b Sanctæ Opportunæ Parisien. nobis innotuit, quod cùm super eo, quod Nicolaus Russuscivis Parisien. in quadam platea Ecclesiae suæ, infra claustrum ipsorum sita, eis prohibentibus in suum ædificabat præjudicium & gravamen, deposituerunt coram Officiali Parisiensi, &c. Archidiacono quæstionem, eis offerenti bus in continentib[us] probare præjudicium, & plateam ad suam Ecclesiam pertinere; ac potentibus insuper, non obstante quod dictus N. cautionem de demoliendo opere offerebat, ædificium prohiberi. Et quia idem Officialis interloquendo decrevit, probationes eorum admittendas esse, ac ab opere interim quiescendum, idem N. ad Senon. Curiam provocavit. Sed cùm Senon. Officialis Nicolai prædicti cognatus eadem interlocutoriā pro suæ dumtaxat voluntatis arbitrio revocata decrevit ad opus sub cautione de demoliendo ipso, non admissis eorum probationibus, procedendum, prædicti Canonici nostram audientiam d appellarent: unde petebant, ut ipsorum probationes recipi, ac prohiberi ædificium mandaremus. Ideoque disc. v. per Apost. scripta mandamus, quatenus si est ita, revocato in statum debitum quidquid post appellationem hujusmodi temerè inveneritis attentatum, super hòc, quod justum fuerit, appellatione postposita statuatis, facientes, &c.

N O T A E.

1. **A**mbian.] Ita etiam legitur in quinta compilatione, sub hoc titul. cap. unic. ex qua transferbo textum hunc. De Ambianensi Diœcesi nonnulla adduxi in cap. 3. de frigid.
- b. *Sancta Opportuna.*] Ecclesia hæc est collegiata in vico Sancti Honorati Urbis Parisien. ut refert Cironius in presenti.
2. *c. Parisiensi, & Archidiacono.*] In sexta collectione legitur Parisiensis Archidiaconi, & ita Offi-

cialis esset Vicarius Archidiaconi Parisiensis. Quâ lectione retentâ, quomodo in præsenti appella-
tio potuisset interponi ad Archiepiscopum Seno-
nensem, omisso medio, videlicet Episcopo Par-
isieni, exposui in cap. 66. de appellat.

d. *Appellarunt.*] Quando in judicio novi operis munitionis appellatio admittatur, operetur utrumque effectum, suspensivum, & devolutum, exponunt Lancellotus de attenuat. 3. p. 28.
et num. 44. Salgado de Regia protest. 2. p. cap. 8. ex
num. 32. ubi explicat præsentem textum.

C A P U T IV.

Gregorius IX.

Is cui opus novum te nuntiasse proponis, non obstante cautione, quæ offertur ab ipso de opere destruendo, si non jure ædificatum existat, tenetur te per trium mensium spatiū exspectare, juris tui præjudicium probare volentem.

N O T A E.

- I. **G**regorius IX.] Qui præsentem constitutiō-
tionem edidit motu proprio, juxta principia
juris civilis, ut statim dicemus.

C O M M E N T A R I U M.

In his omnibus decretalibus una, eademque docetur sententia, quæ talis est: *Ædificium con-
structum post novi operis nunciationem, demolien-
dum est, nec andiri debet Dominus, si satisfactionem
offerat, & de jure suo docere paratus sit.* Proabant
eum textus in l. 1. §. sed et si is, l. Prator 20. §. i. l.

stipulatio 21. §. 1. ff. hoc titul. l. 3. §. si quis paratus,
ff. quod vi aut clam, l. 8. titul. 32. parisi. 3. illu-
strant Federicus Scotus, & Duaren. ad titul. ff. de
novi operi. Idem Duarenus lib. 1. disp. cap. 16. Pe-
trus Gregor. lib. 4. fyn. cap. 26. cum sequent. Don-
nel lib. 15. comment. cap. 45. Facheinus lib. 8. con-
trovers. cap. 44. cum sequent. Reuardus lib. 3. con-
ject. cap. 12. Cuicaci lib. 40. Pauli ad edit. l. non
solum 3. ff. hoc titul. Faber lib. 3. conject. cap. 8. &
lib. 19. cap. 5. Schifordeg. ad eundem lib. 2. tract.
7. cap. 1. Robertus lib. 3. sentent. cap. 16. cum se-
quent. Spanochius in comment. ad hunc tit. ff. Gail-
lius lib. 1. observ. cap. 16. Forcatul. in Nicomanc.
dialog. 112. Gomez in l. 46. Tauri, ex num. 10.
Merillus

Mirillus lib. 3. obseru. cap. 20. David Argente select. in notis ad it. hunc ff. Academie nostrae lumina magna D. Melchior de Valent. lib. 2. illuftr. tract. cap. ult. & D. Ant. Pichardus in §. summa, Insit. de interdict. cap. 8. Mafius lib. 4. singul. cap. 15. & 16.

Sed in praesentem assertionem pro dubitandi ratione ita insurgo. Et primò in eam partem, in qua assuritur, jure, vel injustiā denunciationem faciam impedit adificationem, argumentum ita. Iniquum est nuntiatione notoria iusta parere, quia ius nihil iustum patitur, l. i. ff. de just. & iur. l. quod si Epheſi, ff. de eo quod certo loco, l. memorierunt 6. C. unde vi; ideo iustam nuntiationem non impedire adificii constructionem, docetur in l. Papinianus, ff. de publiciana. Itaque eam impunè contemni docetur in l. iutor 49. ff. de minor, l. si minor, C. de refind. l. 2. C. debuorem ventionem pignor. Ergo cum iusta est nuntiatione operis, non debet impediri Ecclesiæ constructio. Augetur primo haec difficultas, nam publicè interest Ecclesiæ construi, & adificari, ut populus in eis congregetur ad divina officia celebranda, Deumque venerandum, ut probavi in it. de confecr. Ecclesiæ. Igitur iusta nuntiatione non debet prohiberi opus ita pium. Accedit, nam in praesenti casu nunciantes novum opus habebant interdictum uti possideris, ut in sua possessione Ecclesiæ baptismalis conservarentur; & si contraria adhuc Ecclesiæ adifiari aretur, habebant interdictum quod vi aut clam. Igitur non indigebant hoc editio novi operis nuntiationis. Augetur tandem haec dubitandi ratio ex eo; nam si, cui novum opus nuntiatum est, paratus sit satisdatio- nem pro te, & hæredibus suis præstare de eo opere suis sumptibus demoliendo, & id quod nuntianteis inter est solvendo, si appareat adificantem jus adificantem non habuisse, remissa nuntiatione conceditur ei facultas adificantandi, l. de pupillo 5. §. si scui nuntiatum, l. non solum 8. §. si cum possem, & §. sciendum, l. Prator 20. §. si quis paratus, §. interdum, §. deinde, §. hoc autem, l. stipulatio 21. §. si quis autem, hoc titul. Ergo non reōtē in cap. penuli. & final. hoc titul. docetur etiam cautione illa oblatā non posse intrā tres menses eum cui opus novum nuntiatum est, & lifica- re.

Quā dubitandi ratione ira fulcitā non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositio- ne sciendum est, nunciare plerumque acipi pro deferre, & prodere; inde delatores criminum nunciatores appellantur in leg. ab accusatione 6. §. nunciatores, ff. ad Turpil. Cujac. lib. 1. obseru. cap. 38. & lib. 3. cap. 3. & filio nunciare est illi aliquid deferre, l. i. §. final. ff. de jure fisi. Unde tacitum fideicommissum dixit Paulus in l. editio 13. §. cum ante, ff. de jure fisi: plura Brisonius de V. S. verbo Nunciatio. In praesenti autem nuntiare idem est, ac prohibere, l. i. si procurator 17. ff. hoc tit. & nuntiare novum opus nihil aliud est, quam denunciare, vel prohibere, testatione adhibita ne opus novum fiat, l. sequi 6. §. urbs ejus, ff. com- mun. divid. l. i. in princip. l. de pupillo 5. §. memi- nisse, l. Prator 20. in princip. & §. deinde, ff. hoc titul. Petrus Gregor. lib. 4. Syntag. c. 27. Duarenus lib. 1. dispt. cap. 16. Donel. lib. 15 comment. cap. 45. Unde novi operis nuntiatio, testatio, denun- ciatioque appellatur in dict. l. de pupillo 5. §. memi- nisse, l. i. §. sed eti, ff. quod vi aut clam. Est au- tem nuntiatio haec legitima prohibitio in te pra-

fenti, & immobili vicino facta, ne in opere ad- dicando perget, quo nobis noceat, donec de jure adificationis confiterit, aut præstata sit eo nomine satiatio. In qua definitione ponitur legitima prehibito, ut constet, non quamcumque nuntiationem sufficere, sed qua debite tempore, & loco, & à personis legitimis, ut infra dicemus. Ponitur etiam in re præsenti, ut cognoscatur nuntiationem faciendam esse in loco, ubi opus sit, seu inchoatur, dict. l. de pupillo 5. §. nuntiationem, & §. si quis forte 4. l. i. tit. 32. part. 3. Dicitur etiam, & immobili, ut cognoscamus, non omne opus nunciari posse, sed quod in solo adificatur, l. i. §. hoc autem 6. ff. hoc titul. dict. l. i. partit. : & ita si quis messem faciat, arborei succidat, vineam putet, quamvis novum opus faciat ad hoc editum non spectat, d. l. i. §. 6. Nec contrarium probatur in l. si alius 7. §. notavimus, ff. quod vi aut clam. Cujus veram interpretationem tra- dunt Valencia ubi supra, cap. 3. Pichardus cap. 2. num. 206. Dicitur etiam vicino facta, ut sci- mus nuntiationem fieri debere personæ, aut ope- ri ipso, juxta legem operis 10. legem finalem, ff. hoc titul. quas explicat Pichardus dict. cap. 2. nu. 207. In illis verbis: Nec in novo opere, &c. compre- henditur casus hujus nuntiationis, ne videlicet vicinius opere suo, quod adificat, nobis noceat, dict. l. de pupillo 5. §. meminisse. & §. sed si in ades: & ita per hanc nuntiationem legitimè facta statim novum opus sit, & inhibetur, l. i. in princip. d. l. de pupill. 5. §. si quis forte. An vero hoc faciat Prætor editio, vel interdicto suo, pro coniliatio- ne dicta legis i. cum §. legis Prator 20. §. hoc in- terdictum, ff. cod. examinant Valencia d. cap. 1. n. 7. Muretus obseruat. jar. cap. 14.

Deinde sciendum est, nuntiationem novi operis tribus modis fieri posse. Primò solo verbo, quando quis extrā judicium adversario denuntiat, ne quid exinde novi operis fiat. Secundò per Prætorem, jure ordinatio, mediante interdicto. Tertiò non verbis tantum, sed facto, videlicet per jaclum lapilli, cum in opus coptum jaclatur, l. quamvis 50. ff. de acquir. rer. dom. quos modos expresserunt Ulpianus in dict. l. de pupillo, §. memi- nisse, ibi: Meminisse autem portabit, quoniam quis in nostro adificare, vel in nostrum immittere, vel projicere vult, melius esse eum per Prætorem, vel per manum, id est lapilli jaclum prohibere, quam operis nova nuntiatione. Eti. l. §. sed & si quis, ff. quod vi aut clam, ibi: Sed & signi jaclu vel minimi lapilli prohibitus facere perseveraverit facere, hunc quoque vim fecisse videri, Padius & Pomponius scribunt, coque jure uitimur: sed & si contratesta- tionem, denunciationemque fecerit, idem esse Cas- cellius, & Trebatius putant; quod vernum est. Paulus in l. vi facit 20. §. prohibitus, ff. quod vi aut clam, ibi: Prohibitus autem intelligitur quilibet prohibitus actu, id est vel dicentes se prohibere, vel magnum opponentes, lapillum vel jaclantis prohiben- di gratia. Et l. i. tit. 32. partit. 3. explicit supra congeta pro illustratione conclusionis, & Corra- ficius in rubric. ff. hoc titul. Ruardus in l. quatuor- la 73. §. ult. ff. de R. J. Pichardus ubi supra, cap. 3. per totum. Valencia dict. lib. 2. cap. 1. num. 10. Ratio- nem autem, quare lapidis jaclu nuntiatio fiat, as- signat Cuiacius in l. 4. §. eti foris, ff. si servitus vin- diceatur. Quia lapilli jaclu signum erat belli, ut apud Livium & Virgilium, lib. 9. & Enclid.

..... Iaculum intorquens immittit in hostes
Principium pugnae.

Sicut & iactus chirothecæ pro duelli indictione ponitur apud Matthæum Paridem. Aliam rationem hujus nunciationis tradit Citorius in praesenti, desumptam ex eo, quod sicut apprehendenda possessionis nota est cespitis, vel gleba assumptio, ut constat ex l. 2. ff. de acquir. possess. Gellio lib. 2. noct. cap. 17. junctis traditis in cap. 2. de consuet. ita & intervertendæ turbaz, vela movendæ cespitis iactura, cum scilicet iactatur lapis, vel gleba contra adversarium occupantem, vel nova parantem; ita ut novum opus, vel ædificium turbatum, & prohibitum censeatur iactu lapidis, id est ruinâ, & destructione, ideoque per ruinam & jactum unius lapilli prohibito fieri existimatur: & qui unicum lapidem ex novo operi dimoverit censemur nuntiare novum opus, & iactus fit ut liqueat, qua parte novum opus nunciatur, & prohibetur, a quo interim sit abstinentium, dict. l. de pupillo, §. qui nuntiat. Sed licet olim habilitaretur, utrum in hac nunciandi forma verba desiderarentur, hodie tamen placuit, verba necessaria esse, l. 1. tit. 32. partit. 3. ibi: La segunda esto mando alguna piedra en la mano, hechandola aquella labor, diziendo todas aquellas palabras, que dezimos, que debe decir en el primer vamento.

Deinceps sciendum est, tantum nunciare posse novum opus, quod quis facit in solo proprio, sive inchoat facere, l. Prator, 20. hoc titul. unde si opere ad quin ædificium vetus fulciat, seu reficiat, huic nunciationi locus non est; quia non facit opus rationem novum, sed veteri sustinendo remedium adhibet, l. 1. §. si quis adificium, ff. de clavis, l. 2. §. si quis quid, ff. ne quid in loco publico, l. 3. §. opus quoque, de alienat. judic d. l. 1. partit. Quia verius est, eum qui reficit, opus novum non facere, cum pristinum statum, & formam operis non mutet; sed potius corruptam restituat, l. 1. ff. de vi publ. l. 3. §. reficere, ff. de itinere, actuque, l. 1. ff. de ritu. Et ita prohibitus ædificare non censemur prohibitus reficere, l. intra 3. l. omnes 11. l. nemo 13. C. de operibus public. probavi in cap. quia, de iudeis. Debet autem in tali refectione, custodiri forma antiqua ædificii, alia si mutetur, nunciationi locus est, l. qui luminibus 11 ff. de servitutibus, l. 3. §. reficere, ff. de itinere actuque privato, l. 1. §. si quis terrenum, l. Servius 3. §. 1. ff. de ritu, l. final. in fine, C. de servit. & aqua, l. 1. C. de adifici privat. Nec contrarium probat Pomponius in l. refectionis 11. ff. communia preditorum, dum docet, posse eum, qui aquam ducit, vel deprimere rivum, vel allevare. Loquitur enim ibi Consultus de eo, qui jure constituta servitatis quam ducit; ideoque omnia facere posset, quæ sunt necessaria, & sine quibus uti servitute æquæductus non posset, l. si item 10. ff. de servit. notavit Faber in ration. ad illum textum. Causæ autem, ex quibus nunciatio novi operis sit, triplices da risolent; naturalis, publica, aut imposititia. Naturalis causa est, quoties in nostro solo ædificatur ut in proprias ædes; ita appellata, quia omnia ædificia jure naturali libera sunt, & creduntur, nisi proberint, servitutem illis impositam esse, l. cimeo 9. l. inter 15. ff. de servit. urban. l. alia 8. C. de servit. Publica autem dicitur, quoties quis officit loco publico, aut ædificando facit contra leges, Senatus consultate, aut modum ædificis per ea præscriptum, l. 1. §. nunciatio sit, &

§. nuntiamus, l. 3. §. ult. cum l. sequent. l. non. solam 8. §. quod si nuntiavero, ff. hoc tit. l. 1. & 3. C. de adific. privat. l. 3. tit. 32. partit. 3. Explicat eruditè Valentia ubi supra, cap. 4. Imposititia nunciationis causa datur, si quis contra impositam prædio suo, vel alieno servitutem aliquid molitur, aliquodvne opus contra servitutem facit: quo casu nunciatio haec locum habet, l. de pupillo 5. §. sed & si, l. non. solam 8. in principio, ff. hoc tit. l. inter 15. ff. de servit. Urban. l. & si forte 6. in fin. ff. si servit. vind. l. in judicio 48. ff. famil. ercise. l. 5. tit. 32. partit. 3. & semper nunciatio sit, aut juris nostri conservandi, aut danni depellendi, aut publici iurisendi gratia, ut docent, & exponunt Pichardus in pra cap. 4. Duatenus ad hunc tit. cap. 9. Schifordeg. lib. 2. tract. 7.

Ut ad personas, quæ opus nuntiare valent, deveniamus, sciendum est, eos nunciare possello. De personam opus, quorum intercessus illud non fieri, & sonus qui aliquod jus in re habent, l. de pupillo 5. §. & nunciavelle, l. creditori 9. ff. hoc tit. l. unic. §. jus habet, re pos. ff. de remiss. l. inter 15. ff. de servit. l. in judicio sumi 47. ff. famil. ercise. etiam si ratione servitutis, ut probat latè Valentia d. lib. 1. cap. 5. per tot. ideoque superfi ciari, emphyteuta, & similes possunt novum opus nunciare, l. in provinciali 3. ff. hoc tit. §. si ergo, l. 1. ff. de superficiebus, l. final. C. de jure emphyti. quia ipsius fundi, & servitutum utilis est ei concessa vindicatio, l. in speciali 23. in fin. cum leg. sequenti ff. d. R. V. l. 1. §. 1. ff. de superficie. Faber lib. 20. conject. cap. 11. Item creditori qui pignori fundum accepit, novum opus nunciare valet, l. creditori 9. ff. hoc tit. l. unic. in fine, ff. de remiss. quia habens pignus possidet, ut probavi in cap. 3. ut lit non conces. & si in communi loco opus fiat, quilibet ex sociis nunciare valet, l. 3. §. si in loco, ff. hoc tit. l. 4. §. ult. ff. de V. O. nisi alter socius sit, qui ædificat. Explicat Valent. d. tract. 1. c. 6. Item tutor & curator, cum Domini loco habeantur, l. quis fundum 7. §. tutor, ff. pro empore, l. tutor 27. ff. de administr. tutori, novum opus nunciare possunt, l. & si 7. in fin. ff. hoc titul. pupillus vero sine tutoris auctoritate nunciare novum opus non valet, d. l. de pupillo 5. item nunciare non possunt novum opus colonus, vel inquilinus, l. 3. §. si ergo, ff. hoc titul. Item servus, d. l. de pupillo 5. §. ser-vo; quia quod ea, quæ juris sunt, personam non habent, l. quod autem 32. ff. de R. 1. unde cognoscitur in casibus relatis in cap. 1. 2. & 3. hoc titul. potuisse Canonicos, ac Clericos nunciare novum opus, ne nova Ecclesia in eorum præjudicium construeretur. Tum quia legitimam personam standi in judicio habebant; tum quia magnum præjudicium ex constructione nova Ecclesia baptisimis, vel collegialis illis sequebatur.

His suppositis, ut effectus nunciationis novi operis agnoscamus, sciendum est, post nunciacionem factam sive jure, sive injustitia, sistendum esse in opere, nec ultra prægredi posse ad ædifici constructionem, l. 1. in principio, l. de pupillo 5. §. si quis di- forte versus quod idcirco, l. non solam 8. §. sciendum, l. Prator 20. §. 1. ff. hoc tit. l. 8. tit. 32. partit. 3. quia latius est ante datum damnum occurtere, quam post illud datum remedium querere, l. final. C. in quibus causis in integr. resist. & ita per nunciacionem legitimè factam cessandum est ab opere quod perfectum injuriam, damnumque vicino inferret; & si adhuc post nunciacionem ædificatum sit opus, antè omnia demoliendum, & restituendum est, propter contemptum ipsius nunciationis;

citationis; nam cum per nunciationem juxta interdictum Praetoris cessari debuisset ab opere, qui illud adhuc perficit, in paenam hujus contempnus cogitur illud propriis expensis destruere. Accedit, nam nunciatio haec haberetur ad instar appellationis extrajudicialis: Lancellotus *de attentatis 2. p. cap. 20. num. 27.* & ita sicut innovata post applicationem extrajudicalem, ut attentata ante omnia revocantur, ut probavit *in cap. 1. de appellat.* ita aedificata post nunciationem, tanquam attentata sunt ante omnia reponenda propriis expensis: quare qui novum opus nunciat, si quid operis jam tunc factum est, in testationem referre debet, ut postea apparere possit quid aedificatum sit, *l. non solum 8. §. qui opus, & §. sciendum, ff. de novi oper. nunc.* uno autem casu tenetur quod pati destructionem operis, non autem propriis expensis ad demolitionem cogi; cum videlicet domino absente, & nunciationem ignorante, ab opificibus nunciatione spreta, opus perfectum est; nam tunc patientiam tantum praestat, non tam expensas, *l. competit 16. §. final. ff. quod vi aut clam.*

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, nam nunciationis operis, sive jure, sive injuria facta, tunc demum operis progressum impedit, cum de jure nunciationis potest dubitari; nam si compertum, exploratumque fuerit, eum qui novum opus nunciat, nunciandi jus non habere, vel propter incapacitatem personae, veluti si servus vel pupillus sine tutoris auctoritate, vel usufructarius domino nunciaverit, *l. 2. l. de pupillo 5. in princip. & §. servo, hoc titul.* talis nunciatio nullum producit effectum, & per consequens opus impune perfici poterit, *l. 1. §. final. cum l. sequenti, l. de pupillo 5. §. si plurimum, ff. hoc titul.* Item si notoriè injusta causa sit, Gaillius *lib. 1. obs. cap. 16.* unde Praetor, teste Ulpiano *in l. 1. ff. de remiss. missam,* sive remissam facit nunciationem ejus, cui jus prohibendi nullum esse appetit, ut eleganter subdit Ulpianus *§. 1. dicta legis, ea verba Praetoris offendere, remissionem ibi demum factam, ubi nunciatio non tenet.* Sic enim in Florentinis legitur *in d. 1. 1. ff. hoc titul.* & sic legendum suadent Pichardus in *§. 1. de interdict. num. 340.* Valentia *tom. 2. illusfr. tract. 1. cap. ult. num. 10.* ex Roberto, contra Cuiacium *lib. 1. obs. cap. 16. & lib. 19. cap. 17.* quomodo accipitur dicta lex *1. hoc titul.* de illa nunciatione, quæ ut inutilis remittitur à Praetore, ut ait Duarenus in *l. 2. hoc titul.* verum tunc fortius obicies, Ulpian. in *d. 1. 1. docere nunciationem valere, sive jure, sive injuriæ: ergo non potuit remitti nunciatio illa tanquam sine jure, quæ sine jure valet, ex sententia Ulpiani.* Sed dicendum est, duplicitate sine jure opus nunciari: aut nunciatur aperiè sine jure, & hoc casu nunciatio inutilis est; aut nunciatur sine jure, sed dubie, ut nuncians jus aliquod habere videatur: quo casu nunciatio utilis est, ut docent Valentia, & Pichard. *suprà, Donel. lib. 15. comment. cap. 46.* Unde sensus dictæ legis *1.* est, nunciationem, quæ injuria fit, attamen à patientia bona tunc remitti; si ve haec tenuis non remitti, quando prohibendi jus

non habuisse nunciatorem constituerit. Nec obstat quod dicebamus, publi è interesse Ecclesiæ construi ac divina officia celebranda; nam id procedit dummodo inde prajudicium tertio non sequatur, ut in casu textus *in cap. 1. 2. & 3.* hujus tituli contingebat; nam tunc nova Ecclesia cum tertii prajudicio construionem debet. Nec obstat, quod dicebamus de interdictis *uti possidetis, & quod vi, aut clam:* nam interdictum *uti possidetis*, requirit possessionis probationem, *l. 1. & 2. ff. mi possidetis, §. interdictum, In ist. de interdict. nunciatio autem novi operis solum exigit, ut probetur novum esse, & in solito opus, quod sit, simulque nunciati nocere.* Deinde interdictum *uti possidetis*, judicis sententiam petit, nunciatio vero statim opus habet, *l. 1. §. nunciatio, l. de pupillo 5. §. si quis foris, ff. hoc titul.* & interdictum *quod vi aut clam*, in eo à nunciatione differt, quod interdictum illud ad opus jam perfectum pertinet, nunciatio autem non aliter locum habet, quam si opus cœptum perfectum sit, *l. 3. in princip. ff. de mortuo inferendo, l. 1. §. ff. hoc titul.* quas & alias differentias prosequitur Ant. Gomez *in l. 46. Tauri, num. 22.* Nec tandem obstat, quod de satisfactionis oblatione dicebamus; nam licet omnium satisfactione præstitum, vel oblatum, reus possit cœptum ad fiduciam consummare, quia plenumque in proprio solo aedificanti valde injuriosum, & damnosum erat, si jam paratis, & asportatis lignis, conductisque fabris opus sistetur; tamen novo jure legis unicæ, *Cod. hoc titul.* quod sequenti fuerunt Honorius III. & Gregorius IX. *in c. penult. & final. hoc titul.* statutum est, ut nuntiator novi operis non compellatur infra tres menses satisfactionem accipere, sed infra illud tempus causam dirimere judges curent, & opus cesset. Consonat lex *9. titul. 2. partit. 3.* Sed adhuc juxta eam constitutionem, & jus antiquum tres casus sunt distinguendi. Primus est cum aedificans offert satisfactionem, & nuntiator eam recipit: quo casu juxta jus antiquum ad fiduciam perfici potest, non expectato trium mensium spatio. Secundus est in quo nuntiator non vult satisfactionem admittere, nec offert se ad probationem alicuius juris, quod impedire possit opus; & in hoc etiam casu, cui nunciatio est, poterit statim aedificare, quia malitiosa, & causâ vexandi adversarium nunciatio videatur. Tertius est, quando nuntiator cum satisfactionem non admittit, vult tamen probare causam, quam sibi afferit competere ad opus novum impediendum, in quo locum haberet nova decisio textus in *d. 1. unic. approbata in cap. penult. & fin. hoc titul.* ut trium mensium spatum præstetur, intra quod ab aedificio supersedeatur. Illo autem clauso, si nondum lis decisâ fuerit, præstita satisfactione, aedificium perfici valeat, et si controversia nondum decisa fuerit: docuerunt Azor *in summa, ad titul. C. de aedific. privatis, Go-*
mez in l. 36. Tauri, num. 34. Va-
lentia d. lib. 1.
cap. ult.

TITULUS